

A. Krag.

Theses de artium princip.

Hafn.: 1593.









14-9



THESES DE ARTIVM PRINCIPIIS ET LEGITTIMA Conformatione:

Quas defendent ad diem XXIV. Martij
Studiosi honesti & docti XXV.
pro prima in Philosophia
laurea,

*

Præside

ANDREA KRAGIO RIPENSI
Decano.



HAFNIÆ
Impreßit Matthias Vinitor
Anno Domini
1593.



Plato in Theæteto.

Optimè ergo à te dictum eſt, Scientiam nihil aliud eſſe quam ſenſum. Eodem nimirum recidunt, ſecundum Homerum & Heraclitum & omnem illam philoſophantium nationem: Omnia tanquam fluxus quoſdam moueri: Secundum verò ſapientiſsimum illum Protagoram: omnium rerum hominem eſſe menſuram: & ſecundum Theætetum, Senſum eſſe ſcientiam illarum rerum quæ ſentiuntur.

Idem in Phædro.

Vna quædam ſpecies & Idea deſignanda eſt, ad quam omnes ſingulares multifariam diſperſæ referantur: ut cum illæ res ſingulæ fuerint definitione explicandæ illius ſpeciei beneficio ita intelligantur, ut eius de quo agitur natura perſpiciatur &c.



THESIS I.



Onsiderata & exputata, humanæ mentis acumine, rerum vniuersitate, & vniuersitatis partibus singulis, animaduersum est, ex prima notione rebus imposita esse sua nomina singulis.

II.

Res autem singulares & earum notiones primæ cum infinitæ sint, & propter multitudinem numerari commodè nequeant omnes, nedum animo concipi: de commodissima eas percipiendi ratione agitata sunt inter homines sagaciores & prudentiores consilia, & instituta est deliberatio.

III.

Quia impossibile erat eas in unum congerere aceruum placuit consilium, mentis opera & auxilio, ex singularibus infinitis, sensu, obseruatione, inductione, experientia, communes extruere notiones, omnibus conuenientes indiuiduis seu singularibus, & ex ijs probè conjunctis artes gignere: quibus tanquam per manus ducimur, ad faciliorem percipiendorum cognitionem.

IV.

Tales notiones sunt in Grammatica, Nomen, Verbum, Casus, Tempora, Genera, Modi &c. In Rhetorica Tropi, Figuræ, Elocutio, Pronuntiatio. In Dialectica Argumenta, Caussæ, Effecta, Axioma, Syllogismus, Methodus: & si quæ sunt in reliquis artibus notiones similes: quas tamen instituti memores hoc tempore non persequimur.

V.

Cum autem humanæ vitæ breuitas, ingenij imbecillitas, memoriæ infelicitas, unum prohibeant hominem, etiam heroicis donatum virtutibus, omnia usu approbata exempla singularia præceptis explicanda in sua scripta transferre: aut omnes res mundanas, quæ infinitæ sunt, animo complecti: multorum, aut, si fieri potest, omnium hominum excellentium scripta, & res quamplurimæ aut præcipuæ in artium confectione considerandæ & inspiciendæ sunt: ut inde artium eliciantur & extruantur præcepta conuenientia.

VI.

Sed in hoc opere petulanter lasciuire non est integrum: ne plus tenebrarum & obscuritatis discipulis offundant artium præcepta quam lucis & perspicuitatis: certiq; sunt hîc præfiniti limites, certæ præscriptæ leges: & in mandatis accepere artium architecti & conditores, ea solummodo in artium constitutione conquirere præcepta, quæ semper vera sunt in omnibus exemplis, suæ cuiq; arti propria, & quæ prudentem in se habent æqualium conjunctionem: tandemq; ea ita legitimo jure dispositionis collocare, ut priora ad posteriora intelligenda viam aperiant & glaciem frangant.

VII.

Nec tamen ad concludendum artes & artifices intra hosce limites & carceres mouemur aliqua autoritate, aut temeritate: assentiendo leuiter etiam acutissimi Philosophi subtilitatibus, aut facundissimi Oratoris illecebris: sed rei verita-

veritate & natura artium diligenti consideratione æstimata, in hanc sententiam adducimur.

IIX.

Non enim patitur veritas & usus, quæsitus & inuentus in artibus: ut aliquod artis præceptum sit hodie in uno exemplo verum, cras in altero falsum. Hoc enim artificem à proposito abducit. Iustitia prohibet irruere in alienum fundum & alterius sibi vendicare agros: cum artium sint, ut agrorum, distincti limites & termini, quamuis earum communis sit usus: Quæ semel & in genere dici possunt, sæpius, non vitata tautologia, repetere imprudentis est. Ordinem à natura institutum, seruatum, nobisq́ monstratum conturbare, variè inter sese præcepta artium confundendo, est cœlum terræ miscere.

IX.

Quæ in usu loquentium & in rebus ipsis est varietas & licentia multiplex ac confusa, si aliquando impediat, quo minus præcepta generalia conficiantur, anomalia analogiæ addenda est, ut tandem proposito fiat satis: & præceptum tanquam duabus constitutum partibus generale & catholicum statuatur.

X.

Quemadmodum usu parente nata sunt præcepta & obseruatione exemplorum collecta: sic eodem explicabuntur & examinabuntur. Filius enim artium est usus: dum artibus qui mediocriter instructi sunt, probatos autores, apud

quos solummodo hac nostra ætate reliqua manet linguarum doctarum cognitio, sibi familiares adeo faciunt: ut eorum persequentes vestigia, similia ipsi faciant & fingant exempla. Item cum res ipsas rerumq; caussas auxilio artium cognitas, aliis communicent, aut ipsi ad usum in vita transferant. Haud itaq; inconuenienter usus, artium appellatur parens, filius, censor, corrector, moderator &c.

XI.

Hinc palam esse arbitror, qualia nam debeant esse exempla, artium præcepta explicantia: non barbara, non abecedaria nusspiam usurpata, aut nullo usu approbata, nec etiam ab arte aliqua posteriori & nondum cognita desumpta: ne aut adolescentum remorentur progressum aut præceptis vanitatem aliquam inurant, sed ex usu desumpta communi & rebus ipsis.

XII.

In artium constitutione etiam necessaria est sermonis puritas: ut quam facillima orationis forma præcepta exprimantur. Nam etsi prætendamus percipiendi facilitatem, retinendi fidelitatem, præceptorum breuitatem: tamen omnis obscuritas & sermonis impuritas in artium præceptis est noxia, odiosa, vitiosa. Cum artes ut veritatis accuratione, ita verborum perspicuitate illustres esse debeant.

XIII.

Finis omnium artium generalis, est usus in vita humana: qui tamen cuiq; arti suus est proprius ac peculiaris.

Hunc

XIV.

Hunc tum demum artifex consecutus dicitur: cum ea quæ artium præceptis promittuntur præstiterit. Nam regulas uniuersales scire, singularem usum rerum nescire, non est absolutè & actu aliquid scire. Nec etiam satis est scire quid sit virtus: sed ut habeamus & utamur est enitendum. Secus, si quis est in arte doctus, in usu verò indoctus: is erit Mercurius Passonis teste Arist: lib: 9. Philosoph: & Eth:

PARADOXA IN ARTIBVS priorибus III.

I.

Rerum appellationes primæ, siue natura, siue hominum arbitrio, & euentu quodam impositæ sint, in Grammatica doceri non debent: sed eæ solummodo quæ secundæ notiones appellantur, & rebus sua appellatione cognitis accedunt tanquam adsignificata: & quæ propter terminationes vocum varias, præceptis admiscentur.

II.

Grauitas, humilitas, mediocritas orationis non ex ornatu rhetorico, sed ex rei natura, flosculis oratoriis ornatæ existit.

III.

Res non concipiuntur animo, aut Metaphysica, aut Logica, aut quacunq; alia conceptione: sed rerum symbola & appellationes.